



Hieronymus natus est Mülhusij oppido superioris Alsatiae Helvetijs confœderato, honestis parentibus, anno 1505. Is cum felici ingenio frue retur, cum fratre seniore Augustino diligenter operã literis dedit, atq; primis rudimentis perceptis sese ad academiam Basiliensem cõtulit. Ibi præceptore Heinrico Glareano usus, magna diligentia artibus & linguis incubuit, atq; suos æquales facile superavit, ita ut à Glareano reliquis discipulis præficeretur, atque quandoq; priuatas lectiones eius loco explicaret. Itaq; factum ut anno ætatis uicesimo, salutis uerò 1525, die decimo Februarij (Decano artium ipso Glareano existẽte) artium Magister creatus fuerit. Cum hoc modo artibus & linguis egregiè instructus esset, literarum amore in Galliam proficiscitur, & Philosophiæ studium persequitur. In eo etiam tanto successu perrexit, ut doctissimis Philosophis cõnumeraretur. Nam ipsum Aristotelem atq; Platonem sibi familiarem reddidit, atq; res abstrusiores naturæ singulari industria explicauit. Huic studio etiam Medicinam cõiunxit, atq; Doctoralia insignia sibi comparauit Taurini circa festum pentecostes, anno 1533. Hac ratione omnifaria eruditione ornatus, Basileam redijt, atq; Naturalis Philosophiæ professor constitutus fuit. Postea quoq; Andreae Cratandri Typographi filiam Sybillam uxorem duxit, atq; ut authores emendatè in ea officina ederentur, curauit.